



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

Detractio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

DETECTIO.

Licitum est detegere latronem, & furta
 Leius occulta & alia, vt vitetur damnum
 Reipubl. & priuatorum, etiã sine correptione
 fraterna, si non est spes emendæ; aliã
 præmittenda erit, nisi de illis specialiter, ac
 iuridicè interrogetur. Imò aliquando id de-
 tegere tenetur. cap. 18. num. 31. vide tit. De-
 tractio. lit. M.

DETRACTIO.

Detraçtio est significatio mali alicuius ho- A
 minis, non canonizati, qua lãditur vel
 periclitatur eius fama. cap. 18. num. 17. Et est
 triplex, materialis tantum, formalis tantum,
 materialis & formalis simul. num. 21.

Iniuria verborum omnis, & sola illa est B
 mortalis, quæ fit animo notabiliter nocen-
 di, quamuis non noceat. & illa, quæ notabi-
 liter nocet etiam sine tali animo, aduer-
 tendo vel aduertere debendo notabiliter noce-
 re. num. 1. & 21.

Detraçtio autem tunc est venialis, quan-
 do fit animo lædendi parum: vel sine malo
 animo parum lædit, vel quando licet lædat
 notabiliter, excusatur tamen per ignoran-
 tiam.

tiam, vel inaduertentiam. Ibidem.

Materia detractiois est malum culpæ, Pœnæ, vel defectus naturæ. Et qui se ipsum infamat, detractor est. num. 17.

D Detegere propria peccata, vel impendere sibi falsa, ex genere suo regulariter tantum est veniale, quamuis fama notabiliter lædatur, vel omninò amittatur, quia hoc non est iniustitia, sed prodigalitas. In quatuor tamen casibus erit mortale, vt quando sequitur damnum animæ, vel vitæ propriæ, vel alienæ, vel honoris, aut bonorum alienorum. num. 27. & 28.

E Regulariter non est mortale, de se confiteri crimina falsa, aut vera occulta tormentorum; erit tamen mortale in quatuor prædictis casibus, nisi quando id facit persuasus torquendum esse, donec confiteatur, aut vitam amittat. eodem cap. num. 29.

F Qui alteri præsentem malum significat, vt eum infamet, detractor est & contumeliosus. Item qui lædit bonam existimationem quam quis habebat de aliquo bono, quod putabatur habere, licet reuera non haberet, detractor est. cap. 18. num. 19.

G Detegere falsos defectus naturales, regulariter, & ex genere suo, non est mortale. num. 23.

H Imponere alicui falsum peccatum mortale.

tae, per se est mortale. num. 22. Imponere veniale, per se est veniale: vt cum ex impositione vel detectione venialium, cuiuspiam fama non læditur notabiliter: secus verò si notabiliter. num. 24.

Idem est imponere verum crimen, putatum falsum, quod imponere falsum. Atque idem nocendum famæ est imponere falsum crimen, quam verum. quamuis in ratione falsi magis peccat imponens, quam detegens. num. 26.

Detrahens generalibus verbis comprehendentibus natura sua tam mortalia quam venialia, aliquando est peccatum mortale, vt quando fit cum damno notabili, vel periculo proximi, vel coram his de quibus credi potest tam mortalia quam venialia concepturos, nisi expressè vel tacitè admoneantur tantum de venialibus esse sermonem. num. 24.

Detegere peccatum verum mortale secretum, per se est mortale, nisi excusetur à mortali per aliquam circumstantiam. n. 26. Detegere verò notoria facti, vel iuris, vel famosa sine mala intentione nocendi, non est peccatum saltem mortale, quamuis detegantur ignorantibus, vel quamuis in regione vbi deteguntur, non sciuntur. cap. 18. num. 24. 26.

Quæ

Quæ contra ordinem iuris diuulgata sunt, propter infamiam diuulgari non possunt in eo loco, ad quem infamia non peruenit. Sed non est mortale detegere illa quæ citò diuulganda sunt. num. 26.

M Non peccat, qui absque mala intentione detegit peccata vera aliorum secreta, quando reipublicæ conuenit, ut ea puniat, vel ut euitetur damnum proximi, ut qui denunciat proditorem, ne prodar; inhabilem, ne ordinetur; latronem, ne furetur; adulterum & homicidam, ut ab illis caueatur; & maxime hæreticum, ne corrumpat. num. 31.

N Qui absque intentione lædendi detegit mortalia eius qui se de illis iactare solet, non est plusquam veniale. Neque est mortale absque intentione lædendi detegere mortalia proximi, illi personæ quæ non oberit, & fortè proderit, ut parentibus, & aliis, qui creduntur nullatenus nocituri, neque publicaturi. num. 33.

Qui inuenit peccata alicuius scripta, & detegit ea, seu diuulgat, peccat mortaliter, nisi in casu, quo fama proximi parum læderetur. num. 34.

O Peccat mort. qui aliena peccata ab aliis audita aliis refert aliter quàm audiuit, augendo illa, vel certitudinem illorum. Si verò non refert aliter, neque affirmat illa esse vera,

vera, sed solum audiuisse, nec interueniat aliquid aliud, quod esset iusta causa credendi, ut auctoritas personæ, & additio aliquorum quæ rem certiorum facerent, &c. non est mortale. num. 36.

Qui audit mortaliter detrahentem assensu sentiendo, vel non resistendo, cum id facere deberet, peccat mort. maximè si est Superior iudex, parens, aut magister, qui resistere tenentur. Aut si aduertit ex eo, magnum dicenti, & alteri euenturum malum, aut damnum ultra infamiam, & quod contradicendo vitare poterat. Item quando fama eius, cui detrahitur, notabiliter læditur. cap. 18. num. 37.

Qui verò audit, nec præbendo causam, nec impediendo, se delectans, tantum peccat cæteris paribus, quantum qui detrahit. Qui autem audit sine delectatione, licet non contradicat propter verecundiam, non peccat mort. nisi in tribus casibus proximè dictis, ut scilicet si sit Superior, si aduertat magnum damnum ultra infamiam euenturum dicenti, vel alteri, si fama eius cui detrahitur, læditur notabiliter. Ibidem.

DEVS. Rudes credentes Deum esse corporeum, & Patrem esse antiquiorem Filio, regulariter excusantur à pertinacia & culpa. Præl. 1. num. 10. §. 3. in Nou. num. 15.

DIFFA